



78.

48

1745/13

DE  
**TESTAMENTO**  
**FILIIFAMILIAS**

DISSERIT

ET

**GENEROSIS AC NOBILISSIMIS**  
**IURIVM CVLTORIBVS**  
**COLLEGIA SVA**

PER

**SEMESTRE HYBERNVN HABENDA**

INTIMAT

**ABRAHAM KAESTNER**

**V. I. D. ET P. P.**



§. I.



n testatoris persona, tria praeprimis requiri, in vulgus notum est; *scil.* a) integritatem status, b) integritatem iudicii et mentis, et c) integritatem sensuum ad explicandum animum necessariorum: Testamenti enim factio est actus *partim* CIVILIS, propter solennitatem, *partim* NATURALIS, propter animi voluntatem; Ideoque testator aliquid a iure, et aliquid a natura habere debet. v. ROMULEIVS *de probib. ext. fam. n. 241.* A iure habeat *statum integrum* necessesse est; Cum vero hic status in tribus, *nimirum* libertate, ciuitate et familia, consistat, fluit etiam exinde, vt testator sit *liber, cuius vt paterfamilias*: disponit enim in illud tempus, quo non amplius futurus est dominus rerum suarum, quod ipsi ex gratia tantum a iure concessum est, vt scribit ALEX. CARER. *de sponsal. et matrim. Lib. IV. c. VI. §. nam respondeo*; a natura autem habere debet *integritatem et firmitatem iudicii*: quoniam disponit de rebus suis, et quidem non *sigillatim*, sed de omnibus *uniuersim*, quo casu maxime iudicio animi opus est. Vtcrius debet habere *integritatem sensuum*; quia voluntas in mente clausa nil operatur, debet ergo illam extrinsecus ostendere per sensus et actus ad voluntatem declarandam idoneos.

§. II.

Dictis rite consideratis intellectu facile est, quam ob rem nec seruus nec filiusfam. testari possit? Nimirum, quia non habent integritatem status; *filius* enim caret familia, seruus vero ciuitate et libertate. v. MATTH. *de Afflic. dec. Neapol. CCXL. n. 4.* HARPR. in notis ad CLAR. §. *testam. Qu. XVIII. n. 1. seq.* testamentum autem est *voluntatis nostrae* iusta sententia: Illi vero qui alieno iuri sunt subiecti, liberum arbitrium propriae voluntatis non habent, ergo illorum voluntas et sententia pro testamento habenda non est. v. MYSNSING. *ad princ. instit. de testam. ordin. n. 5.*

§. III.

Cum itaque ad testamenti factionem requiratur, vt aliquis sit *paterfamilias*, pleno alueo exinde fluit, prohiberi filiumfamilias, ob vinculum potestatis patriae, cuius contemplatione eius persona *iure civili* non est integra, quod etiam innuit IMPERATOR *in pr. Inst. quibus non est perm. fac. testam.* verbis: *statim enim ii, qui alieno iuri subiecti sunt, testamenti facienti ius non habent.* Quia vero nulla regula tam firma tamque infallibilis est, quin patiatur suam limitationem atque exceptionem, placet in praesentiarum casus adducere, in quibus *partim* ipso iure, *partim* ex Dd. opinione filiosfam. testamenti factio permittatur.

§. IV.

Casus igitur I.) de quo dubitare plane non conuenit, deprehenditur in filiosfamilias milite, qui de eo, quod in sagata militia acquisiuit, quodque *castrense peculium* appellamus, liberrime valideque, et eo quidem casu, quo  
in



in acie constituitur, quo velut modo, testamentum condit: Cui statim addendus est II.) *scil. filiusfam. qui quasi castrense peculium*, quod vel munere publico vel artibus liberalibus adquisiuit, possidet, omni etiam tempore, non vero modo priuilegiato, vt miles sagatus, bene tamen more paganorum testari potest. Vterque hic casus expressis iuris textibus nititur, *v. princ. I. quibus non est perm. fac. testam. et l. ult. C. de inoffic. testam.* vi quorum filii, qui adhuc in sacris paternis sunt constituti, de castrensis et quasi castrensis peculii suprema eogia recte ordinant: quoniam quoad haec peculia pro patribusfam. reputantur. *v. l. 2. ad SCrum Macedon. VVLTEX. ad princ. Inst. quib. non est perm. fac. testam.*

## §. V.

Casus III.) vbi filiusfam. testamentum (*iuxta nonnullorum Doctorum opinionem*) susinetur, occurrit in peculio aduentitio extraordinario seu irregulari; De hoc enim filiusfam. valide testari posse adserunt multi non infimi subfelli Icti, ex quibus adduco TREVTLER. *Vol. II. disp. X. ib. II. lit. C. VAVD. lib. I. variar. quae. iur. quae. I. per tot. HVNN. Lib. II. variar. iur. resolut. tract. V. qu. X. p. m. 562. seq. LOCAMER. Qu. Iustinian. CCXXI.*

## §. VI.

Plerique vero, quoad hunc casum III.) dissentunt, filiumque de peculio aduentitio irregulari testari posse, negant ex sequentibus rationibus  
 1) Quia causa prohibitionis in filiosfam. testante, non sita est in eo, quod vusfructus ad patrem pertineat, sed quod ius testandi iure publico et legibus XII. tabb. patrifamilias tribuatur. 2) Quia in *l. pen. C. qui testam. facere poss.* Imperator antiquam legem per omnia vult conseruari; Tam vero lex antiqua prohibet eum, qui in potestate patria constitutus est, testamentum condere, *v. l. 3. §. 1. C. d. t.* Nec per legem antiquam, *d. l. ipsius Iustiniani constitutio in l. ult. C. de bonis quae liber.* intelligi potest, cum in *l. pen. C. qui testam. fac. poss.* aperte profiteatur Imperator, *d. l. penultimam*, nuper a se promulgatam esse. 3) Quia diuersa ratio est peculii aduentitii irregularis et quasi castrensis; quoniam leges et constitutiones in fauorem militiae permittunt militibus testari de castrensis; De bonis vero aduentitiis non solum id concessum non est, sed aperte etiam vetitum, *d. l. pen.* vt itaque nevtiquam argumentum procedat: *De bonis castrensis et quasi castrensis filius testari potest, quia nihil iuris in illis habet pater; ergo etiam de bonis aduentitiis irregularibus*, argumentum enim a contrario desumptum non valet, vbi textus sunt in contrarium. *v. KOEPPEN. Obs. CIVII. n. 11. et 12. p. m. 306.* 4) Quia si speciale est, quod filiusfam. tantum de sepultura et ad pias causas disponere possit, (*vti ex §. VIII. fusius adparebit*), sequitur quod in aliis disponere prohibeatur; Prius est verum *per cap. licet, §. 1. de sepult. in 6.* ergo et posterius, *arg. l. cum praetor. 12. de iudic.* 5) quia in *princ. Inst. quib. non est perm. fac. testam.* omne filiusfam. testamentum inutile dicitur,



quod fit de aliis bonis praeter castrenfia et quasi castrenfia. v. IO. CHRISTOPH. MÜNCH. differt. de testamento filii familias, Memb. IV. §. 3. Ien. 1689. bab.

## §. VII.

Ex rationibus adductis simul adparent dissentientium argumenta. Potissimum vero, ad quod praeterea prouocant consistit in *Nouella CXVII. c. I. §. 1.* ubi Imperator his vitur verbis: *Res autem ita relictas siue donatas potissimum sub potestate personis, siquidem perfectae sunt aetatis, licet sub potestate sint, licentiam habeant quo volunt modo disponere.* Graecus textus sic sonat: *Τὰ δὲ παράκειται τὰ ἔρα καταλιπαρούμενα ἢ δωρούμενα τοῖς ὑπεξέστοις προσώποις, οἱ μὲν τελέως ἐσὶν ἡλικίας, καὶ ὑπεξέστοι οἰ ἄσιν, ἄδειαν ἔχουσαν καὶ ὃν βούλονται πρόπον διαμεῖν.* In ultimis hisce verbis, *quo volunt modo*, asylum, quo tuto confugere possint, se inuenire credunt alieni; Aft frustra sibi hoc persuadere videntur: libera enim dispositio de peculio aduentitio irregulari in *cit. Nou.* non de dispositione, quae fit in *ultima voluntate*, sed de dispositione, quae fit *inter viuos* est accipienda, *partim* quia in textu originali, hic adducto, non verbum *διωρίζουσα*, quod est disponere per ultimam voluntatem, reperitur, sed *διαμεῖν*, quod domesticam denotat dispositionem; *partim*, quia *d. Nou.* loquitur de ea bonorum administratione, quae minoribus est interdicta; At dispositio testamentaria minoribus non est interdicta, sed ea quae fit inter viuos. Si obiciatis: Quod inter viuos conceditur, id multo magis in ultima voluntate concedendum, *arg. §. vn. Inst. de leg. fus. Can. toll. et l. 1. C. de SS. Eccl.* responderetur 1) non procedit argumentum in filiosam ductum a iure plenae proprietatis, quasi eo concesso, omnia concessa intelligantur, quae paterfamilias in sua re potest. 2) argumentum a contractibus ad ultimam voluntatem saltim procedit, quando eadem est ratio, non vero quando diuersa. *arg. L. 46. de leg. I. conf. BACHOV. ad TREVTL. Vol. II. disp. X. th. 2. lit. C. et HOPP. in Comment. ad princ. inst. tit. quib. non est perm. fac. testam. verb. qui castrense peculium, etc.* Ex hisce rationibus plerique Doctores, filiumfam. quidem de bonis aduentitiis inter viuos disponere, non vero testari posse, statuunt, v. DAVTH de testam. p. m. 201. n. 154. seqq. cum multis quos adlegat; Quibus etiam ego huc vsque in praelectionibus meis Academicis calculum semper addidi.

## §. VIII.

Casus (IV.) esto: Filiusfamilias de peculio aduentitio *ad pias causas* testari potest. Huic quidem adserto obiciunt: 1) Romanorum de testamentis placita, in suo complexu integro, in foris Germaniae esse recepta, v. SCHILTER. ad π. Exercit. IX. §. 9. consequenter, *concludunt*, etiam prohibito, ne filii familias, patre licet permitte, de peculio aduentitio testamentum condant, huc spectat, v. princ. Inst. quib. non est perm. testam. quicquid enim iuris in toto, illud etiam iuris in parte. v. l. 76. de R. V. et l. 27. *§. pen.*



§. *pen. de poss.* pars enim continetur in suo toto. *v. c. 30. de R. l. in 6. 2)* quia constitutio MAXIMILIANI I. *d. A. 1512. §. 24. de testamentis*, disertis verbis, ut testamenta secundum Romanorum formam condantur, praecipit. 3) quia iuris canonici, contra iuris Romani solemnitates, *in cap. 10. X. de testam.* enata dispositio ad terras saltem Ecclesiae pertinet, *v. GONZALEZ TELLEZ. ad dict. cap.* contra vero ad terras Imperii proferri nequit, *v. de LYNCKER in Anal. ad DESSEL. Eror. Iur. Can. lib. III. tit. XXVI. qu. IV.* Hisce tamen non obstantibus, de testamentis filiorumfam. ad pias causas aliud statuendum, idque ob summam auctoritatem dispositionis Pontificis *in cap. XI. X. de testam.* quam in Germaniae foris tam Catholicorum, quam Protestantium ex iis, quas *ill. BOEHMERVS Iur. Eccl. Protest. L. III. tit. XXVI. §. 19.* adduxit, rationibus, prae iure civili nata est, qua in fauorem piarum causarum cautum, *ut cunctis Romanorum solemnitatibus posthabitis, quibus et testatoris qualitas, ut praecise sit paterfamilias, accensenda videtur, omne testamentum ad pias causas sustineri debeat, modo de testatoris voluntate liquida constet.* Nimirum, Pontifex hanc testandi rationem ad iuris Gentium simplicitatem reduxit, atque eo ipso et prohibitionem Romanam, ne filiusfamilias, *permittente licet patre*, de peculio aduentitio testetur, indirecte sustulit. Tuetur praeter BOEHMERVM *c. l.* hanc sententiam CHRISTINAEVVS *Dec. Cur. Belg. Vol. IV. tit. XXII. dec. IV. n. 6. p. m. 12. edit. nou.* et REINHART. *ad dict. Vol. et Dec. Obseruat. X. p. m. 5.* STRYK, *de cautel. testam. cap. III. §. 38.* ZOES. *ad ff. tit. qui testam. fac. poss. n. 14.* de WERNHER *Vol. VII. Supplem. ad Part. I. Obs. XVIII. Sect. II. n. 165. p. m. 38.* quo loco etiam adhuc alios consentientes adducit. Dissent. COCS. ARGELVS *tract. de acquir. poss. qu. III. art. III. n. 15. seq.* cum aliis quos adlegat.

### §. VIII.

Casui recensito addunt (V.) filiusfamilias de peculio aduentitio, inter liberos suos, *consentiente patre*, hodie valide testari posse. Tractat hanc quaestionem 16. STEPH. DURANTIVS, *qu. XXI. vbi adserit: patre permittente*, verius esse eum posse testari, *secundum ALEXAND. ad l. 1. §. hoc autem ff. ad Scutum Trell.* TIRAQUEL. *de priuil. piae caus. priuil. LXXXVIII. et cap. 4. de sepult. in 6.* imo iuxta BALDVM *ad cap. Raynucius 16. in verb. matrem. n. 5. 11. et 12. X. de testament.* valet etiam tale testamentum, *patre etiam non consentiente*, quia idem fauor est et eadem ratio in testamento inter liberos, quae in testamento fauore piae causae; Cui accedit quod in testamentis et dispositionibus fauore liberorum, solum ius Gentium spectamus, nec formam, nec praecepta iuris ciuillis, quo constitutum, ut solus paterfam. non filiusfam. testetur. Et sic testamentum fauore liberorum pro valido habuit *Parlamentum Tolosanum* referente MAYNARD. *Lib. VII. c. XIX. in collect. arrest. et Lib. V. cap. 1 et II.* Simile iudicatum etiam recen-



cenſet FERRAR. quem adducit, et ſententiae huic ſubſcribit CHRISTIN.  
Dec. diſt. Vol. IV. Tit. XXII. dec. 4. n. 6. ſeq. p. m. 12. edit. noua.

Alii vero ſimpliciter contrariam amplectuntur ſententiam: Quoniam a teſtamenti priuilegiatis ad *pias cauſas*, ad ea quae inter liberos ſiunt argu-  
mentum trahi non poteſt; illa enim ex meris iuris canonici placitis in Impe-  
rio receptis, et iure ciuili hoc in articulo praelatis, ſuſtinentur; Sed horum  
teſtandi ratio ex iure ciuili et ſigillatim ex Nouell. VII. vnice aeſtimanda; in  
qua prohibito in l. 6. pr. qui teſtam. fac. poſſ. et princ. Inſt. quibus non eſt  
perm. fac. teſt. filiifam. facta neuiquam ſublata ſeu remiſſa. Proinde filiifam.  
diſpoſitio inter liberos legitimos, naturales et ſpurios plane illicita ha-  
benda. v. REINHART, ad CHRISTIN. Decif. loc. cit. obſ. XI. p. m. 5.  
DAVTH, de teſtament. p. m. 205. n. 158.

## §. XI.

Denique (VI.) filiufamilias recte teſtatur, ſi ſtatutum illi teſtamenti  
factionem permittat; Nullum enim eſt dubium quin tale quid per ſtatutum  
fieri poſſit; Nec etiam deſicit ratio: reſpectu enim ſolemnitatum et ordinatio-  
num iura ſtatutaria et conſuetudines ſori, in quo iudicium agitur, attendenda  
ſunt et obſeruari debent, per ea quae tradit VIGL. ad princ. Inſt. quib. non  
eſt perm. fac. teſtam. et IO. BAPTIST. ASINIVS, ICtus Florent. in pract.  
aur. c. VIII. n. 7. Conf. l. 50. ff. ad SCrum Trebell. circa fin. VINCENT.  
de FRANCIS. dec. Neapol. LXX. n. 5. et dec. XCII. n. 5. 12. ſeqq. KOEPP.  
Lib. I. Obſeru. CVII. n. 13. p. m. 306. Qualia ſtatuta et mores vſu ſeruari non  
ſolum in Gallia, ſed et Hiſpania et in Germania, teſtantur PEREZ ad Cod. tit.  
qui teſtam. fac. poſſ. n. 16. et VINN. d. l. n. vit. De Statuto Paduae, quod  
filioſam teſtandi licentiam permittit, v. COCCHEVS, diſſert. de fundata in  
territorio et plurium locorum concurrente poteſtate. tit. VII. §. 17. quae eſt in  
eius Vol. II. diſp. LIV. p. m. 729.

## §. XII.

Supra (§. VIII.) dictum fuit, iure Canon. per c. XI. X. de teſtam. filiumfa-  
milias, patre permittente, ad *pias cauſas* teſtari poſſe; hoc itaque loco mo-  
nendum, cum IO. SAM. STRYKIO in diſſert. de teſtament. reciproc. §. 58.  
p. 36. non eſſe ſtatuumdum: dictam diſpoſitionem ad quaeuſque alia teſta-  
menta, ad *piam cauſam non condita*, pertinere; Veruſſiſſima enim lege XII.  
rabb. cautum, ne filiufamilias condat teſtamentum; quod, cum publice con-  
ſtitutum ſit, nihil hic patris arbitrio tribuendum eſt; atque adeo, ne permiſſu  
quidem ipſius is, qui poteſtati eius ſubeſt teſtandi facultatem habet. Haec  
enim publici iuris eſt, adeoque nemini, niſi cui lege conceſſa eſt, competit.  
arg. l. 38. de Paſſ. et l. 15. §. 1. ad leg. Falc. hinc ſequentem in modum pro-  
nunciavit F. I. V. Dennoch aber, und dieweil ermelbte Tochter noch unter  
Väterlicher Gewalt ſich befindet, und die Rechte nicht geſtatten, daß von der-  
gleichen



gleichen Personen, NB. wenn auch gleich die Väter dazein willigen wolten, gültige und beständige Testamente gefertiget werden mögen; So ist auch LIVII Tochter, so lange sie in Väterlicher Gewalt verharret, ein Testament zu machen nicht besugt, v. de WERNHER Vol. I. P. I. Obs. CXLII.

## §. XIII.

Quae dicta sunt (§. praec.) quod filiusfam. nec patre permittente condere queat testamentum, ad donationem mortis causa non debent extendi; Dissentit quidem solus RAPH. CYMAN. in l. tam is, 25. §. 1. de donat. mort. caus. et in l. qui in potestate. de testam. statuens, quod filiusfamilias nec cum consensu patris mortis causa donare possit; hic autem iam diu refutatus est a THAD. PIS. Lib. IV. var. resolut. c. IV. n. 2. verum inter tot. Donat igitur filiusfam. recte mortis causa, patre consentiente, de bonis in quibus patri competit ususfructus; Quare vero filio hoc sit permittum, consentiente patre, cum tamen donatio sit species vltimae voluntatis, variae a Dd. adducuntur rationes. Non vacat illas hic adducere in earumque veritatem inquirere, fecit autem hoc BERLICH. Part. III. concl. I. vbi longa serie de donatione mortis causa tractat; ad quem L. B. ablegatum cupio.

## §. XIII.

Tandem paucis adhuc moneo, non leuem esse controuersiam inter Doctores: An pater filium ad solum actum testandi emancipare possit? Adfirmat hoc BARTOLVS in l. 1. §. in filii. ad Sctum Trebell. multi cum BAROLO idem sentiunt, et praeter legem citatam i. prouocant ad l. u. C. de leg. hered. vbi potest fieri emancipatio, retentis iuribus legitimis, et sic ibi filius et non filius. Adducunt porro pro hac sententia Auth. Sed episcopalis C. de Episc. et Cler. vi cuius dignitas liberat a patria potestate, quatenus id filio prodest, non quatenus nocet; Ex qua adparet: quod quis partim emancipatus et partim non emancipatus esse possit. Vtcrius adlegant l. 7. C. de bonis quae liber. et cap. si annum. inf. de iudic. in 6. Hisce vero textibus non obstantibus est communior, venior et receptior opinio: Emancipationem a patre ad actum testandi tantum, non valere. Filius enim in duplici statu contrario, tanquam paterfamilias, nimirum quoad actum testandi, et filiusfamilias quoad alios actus esse non potest; Eodem enim tempore esse in potestate et esse sui iuris non potest fieri, nisi ex fictione, quam lex sola inducit, non homo priuatus. v. BALDVS in l. senium, 3. §. 1. n. 7. C. qui testament. fac. poss. vbi copiose pro negatiua agit. Conf. DAVTH. de testament. p. m. 195. n. 150. qui etiam negatiuam amplectitur et ad contraria argumenta respondet. Negatiuae accedit quoque de BERGER in Oecon. iur. p. m. 156. edit. nou. qui tamen p. 366. contrariam sententiam non vero vt satis tutam, commendat.

## §. XV.



Pura adducere acquiesco, cum id praepriis adhuc agendum cuius gratia haec sunt praemissa. Mōre nimirum diu seruato, collegia ea, quae in gratiam *Dominorum Commilitonum* sequenti semestri hyberno, si *DEVS* vitam, sanitatem, tranquillaque tempora, quod certa in eum fiducia speramus, concesserit, habiturus sum, paucis notificabo, quae erunt sequentia:

- I) COLLEGIVM in LVDOVICI DOCTRINAM PANDECTARVM, in quò hucusque priores XVII. libros absoluimus, a libro XVIII. *singulis diebus* continuaturus sum. *Hora VIII-IX.*
- II) ELABORATORIO-PRACTICVM, in quo membra scripta singula, pro indole ac natura Processus *proprio Marte* concipiunt meaeque reuisioni submitunt, exordiar, *Hora IX-X. diebus 2. 2. 2. et 2.*
- III) INSTITVTIONVM IMPERIALIVM textum ita explicabo, vt antiquitates scitu necessarias simul diligenter referam, potissimum vero vsum hodiernum cuiuslibet tituli, occasione *Synopses Menckianae*, fideliter ostendam. *Singulis diebus. Hora X-XI.*
- IV) IVS SAXONICVM, occasione *Constitutionum Electoralium D. AVGVSTI* tradam, *diebus 2. 2. 2. et 2. Hora II-III.*
- V) IVS CANONICVM, praeuente SCHILTERO, iisdem diebus docebo. *Hora III-IV.*
- VI) DELINEATIONEM PROCESSVS abs me editam, explicabo *diebus 2 et 2. Hora XI-XII.*
- VII) LECTIONES PVBLICAS, in STRYKII praecognita iuris, HOPPII commentario ad Institutiones, adiecta, continuabo, *iisdem diebus. Hora IX-X.*
- VIII) EXERCITIO DISPVTATORIO et EXAMINATORIO *diebus horisque* huc vsque consuetis, vacabo.

Praedicta collegia, finitis nundinis solennioribus instantibus, initium fument, finem vero, *Summo Numine* dirigente, singulis per semestre hybernum imponam. Dabam Lipsiae e Museo, ipso *Angelorum festo. A. R. S. M DCC XXXV.*

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

\* \* \*


XX 2

KOP  
UN  
ZV












ULB Halle  
006 219 853

3



vd 18









DE  
**TESTAMENTO  
FILIIFAMILIAS**

DISSERIT  
ET  
GENEROSIS AC NOBILISSIMIS  
IVRIVM CVLTORIBVS  
COLLEGIA SVA

PER  
SEMESTRE HYBERNVN HABENDA  
INTIMAT  
ABRAHAM KAESTNER

V. I. D. ET P. P.

48  
1745, 13

